

NORMAE INDOLIS IURIDICAE AD TENOREM C. 1492 CCEO APPLICANDAE

NOTA REDACTIONIS: Documenta, quae in hoc articulo eduntur, publici iuris facimus de licentia Exc.mi Praesidis Pontificii Consilii de Legum textibus interpretandis, qui et voluntatem manifestavit ut divulgentur, cum quamdam applicationem specificam c. 1492 CCEO contineant, cuius cognitio canonistis orientalibus et latinis utilis esse potest ad melius ius Ecclesiae universalis in praesentiarum vigens cognoscendum.

1. Status quaestionis

Non raro pastores et alii christifideles Ecclesiarum orientalium catholicarum existimant instructiones vel decreta semet ipsos respicere ex eo quod ab uno alterove organo Sedis Apostolicae Romanae sunt latae. Non enim quaerunt utrum a Dicasterio pro orientalibus competenti latae sint necne. Unde nonnumquam oriuntur confusiones: exempli gratia, nuper postquam Congregatio pro Clericis (quae non habet competentiam erga Ecclesias orientales) per instructionem, inter alia, habitum ecclesiasticum clericis (latinis) urgebat, flagavit controversia per scripta in hebdomadario cuiusdam Ecclesiae orientalis catholicae perinde ac si clerici orientales instructione tenerentur. Etiam cum agitur de Dicasterio pro orientalibus competenti non semper quaeritur utrum in casu particulari orientales obligare

velit necne. Non agimus hic de Congregatione pro Ecclesiis Orientalibus, sed de aliis Dicasteriis Romanae Curiae, quorum quaedam competentiam certo habent pro christifidelibus et latinis et orientalibus: scilicet Congregatio de Doctrina Fidei, Congregatio de Causis Sanctorum, Paenitentiaria Apostolica, Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae, et Tribunal Rotae Romanae, etc.¹ Si quaestio praevia de competentia plane negligitur, non pauca oriri possunt incommoda; praeter perniciosam incertitudinem iuris, via patebit latinizationibus quae ab ipsis orientalibus inducantur perinde ac si ab ipsa suprema auctoritate essent praeceptae. Quarum non solum legitimitas in dubium vocari potest sed etiam quaerenda erit conformitas cum regula a

¹ Const. ap. *Pastor Bonus*, 58 §2. De plurium Dicasteriorum Curiae Romanae competentia erga Ecclesias orientales non certo constat ex textu constitutionis apostolicae *Pastor Bonus*. Tantum quoad duo Dicasteria expresse dicitur competentia circumscribi ad Ecclesiam Latinam: Congregatio pro Episcopis, quae «ea cognoscit quae [...] respiciunt in Ecclesia Latina» (PB 75) et Congr. pro Institutis Vitae Consecratae et Societatibus Vitae Apostolicae, cuius munus est «in universa Ecclesia Latina promovere [...]» (PB 105). E contra nulla circumscriptio exprimitur quoad Congr. pro Clericis, quae «ea cognoscit quae [...] presbyteros et diaconos Cleri saecularis respiciunt» (PB 93): deficit enim clausula «in Ecclesia Latina.» Congregationis vero de Doctrina Fidei est «in universo catholico orbe promovere[...]» (PB 48) Sed in PB nihil expresse dicitur quoad extensionem competentiae Congregationis pro Institutione Catholica, quae tamen etiam in Ecclesias orientales competens est, ut aliunde constat. Item PB silet quoad duodecim Pontificia Consilia utrum etiam pro orientalibus sint. Quod silentium claritati et certitudini iuris orientalis non consulti. Haec quaestio aut ignoratur aut valde incerta manet etiam apud commentationes peritorum (cf. P. A. BONNET – C. GULLO (curantibus), *La Curia Romana nella Cost. Ap. «Pastor Bonus»*, Studi Giuridici 21, Libreria Editrice Vaticana, 1990); quoad competentiam Congregationis Orientalis, vide M. BROGI (ibid., 239-267); sed et ille saepe dubitare videtur (254-255).

Concilio Vaticano II data de mutationibus in disciplina non inducendis nisi «ratione eius organici progressus» (OE 6; CCEO c. 40 §1).

De legibus autem in Ecclesiis Orientalibus applicandis norma datur in *Codice Canonum Ecclesiarum Orientalium* (CCEO) per canonem 1492, qui ipsius codicis proprius est adeo ut in *Codice Iuris Canonici* (CIC) canon parilis non inveniatur.

Leges a suprema Ecclesiae auctoritate latae, in quibus subiectum passivum expresse non indicatur, christifideles Ecclesiarum orientalium respiciunt tantummodo, quatenus de rebus fidei vel morum aut de declaratione legis divinae agitur vel explicate de eisdem christifidelibus in his legibus disponitur aut de favorabilibus agitur, quae nihil ritibus orientalibus contrarium continent.

In hoc canone invenitur norma quae iam a saeculo decimo septimo a Congregatione de Propaganda Fide formulata a Papa Benedicto XIV confirmata fuit². In pluribus legibus a suprema Ecclesiae auctoritate latis non expresse indicabatur *subiectum passivum*, id est non fiebat sermo pro quibus latae essent. Etsi revera tantum pro Ecclesia latina fuerint latae, tamquam pro

² S. Congr. de Propaganda Fide, 4 iunii 1631, in *Codicis Iuris Canonici Fontes*, curantibus P. GASPARRI – I. SERÉDI, Romae, 1929-1936, vol. VII, n. 4449; S. Congr. S. Officii, decr. 3 aug. 1639, in *Collectanea S. Congr. de Propaganda Fide*, vol. I, n. 97; 13 iunii 1710, in R. DE MARTINIS (curante), *Iuris Pontificii de Propaganda Fide pars prima complectens Bullas...*, vol. I-VII, Romae, 1888-1897, vol. VII, n. 279; Benedictus XIV, const. «Etsi pastoralis», 26 mai 1742, §9, 5, *Collectanea...*, n. 338 (p. 128); idem, ep. encycl. «Allatae sunt», 26 iul. 1755, §44, ibid. n. 395 (p. 252); alloc. «Quadragesima», 27 mar. 1757, «Audistis», R. DE MARTINIS, *Iuris Pontificii...*, n. 186; S. Congr. de Prop. Fide, litt. enc. 8 nov. 1882, *Collectanea...*, n. 1578; litt. enc. 6 aug. 1885, ibid., n. 1641; decr. 18 aug. 1893, ibid., n. 1847.

Ecclesia universali latae facile habebantur. Unde oriebantur difficultates in Ecclesiis orientalibus quae propriam habebant disciplinam. Canon supra citatus conservat Sedis Apostolicae Romanae responsa.

Non omnes leges a suprema auctoritate Ecclesiae latae, quae est communio Ecclesiarum, omnes respiciunt Ecclesias. Legislator noluit disciplinam propriam orientalem respicere in CIC-1917, cuius canon primus ambitum Codicis ad «unam Latinam Ecclesiam» regulariter circumscribit. Item CIC-1983 in ipso primo canone exprimit subiectum passivum: «Canones huius Codicis unam Ecclesiam latinam respiciunt.» Etiam CCEO similiter exorditur: «Canones huius Codicis omnes et solas Ecclesias orientales catholicas respiciunt, nisi, relationes cum Ecclesia latina quod attinet, aliud expresse statuitur» (c. 1). Si hoc exemplar legislationis non attenditur cum leges vel decreta generalia feruntur vel instructiones dantur a Dicasteriis Curiae Romanae competentiam etiam in Ecclesias orientales habentibus, dubium oritur de subiecto passivo. Quibus in adiunctis solutionis viam ostendit canon 1492 CCEO supra citatus, qua enuntiatur norma secundum quam lex a suprema Ecclesiae auctoritate lata valet pro Ecclesiis orientalibus earumque christifidelibus tantum in his quattuor casibus sequentibus, scilicet:

- 1) si agitur de «rebus fidei vel morum»;
- 2) si declaratur lex divina;
- 3) si explicite de christifidelibus orientalibus disponitur;
- 4) si de favorabilibus agitur quae nihil ritibus orientalibus contrarium continent (puta concessio indulgentiarum).

«*Textus initialis*», quem iam anno 1958 prima Pontificia Commissio Codici Iuris Canonici Orientalis Redigendo confecerat et quem canon noster recepit et per-

fecit, fuit fere eiusdem tenoris. «Fideles orientalium rituum non adstringuntur universalibus Ecclesiae legibus, etsi latis in Litteris Encyclicis vel Constitutionibus Apostolicis, nisi agatur de rebus fidei vel morum, de declaratione legis divinae sive naturalis sive positivae aut expresse dicatur Orientales lege teneri»³. Canon autem 1492 CCEO adiunxit «de favorabilibus» ex fontibus sed silet de lege naturali; insuper terminologiam novam adhibet loco «universalibus Ecclesiae legibus».

Etsi in canone agitur expresse tantum de *legibus*, ratio eadem valet de instructionibus, quae in CIC c. 34 §1 definitae sunt. Terminus sane «instructio» in hoc sensu deficit in CCEO, patet tamen quod res non potest deficere in iure canonico orientali, eo quod instrumentum quoddam est legis, ut videri licet etiam ex instructione de liturgia a Congregatione pro Ecclesiis Orientalibus nuper data⁴. Etenim:

Instructiones, quae nempe legum praescripta declarant atque rationes in iisdem exsequendis servandas evolvunt et determinant, ad usum eorum dantur quorum est curare ut leges executioni mandentur, eosque in legum executione obligant; eas legitime edunt, intra fines suae competentiae, qui potestate executiva gaudent.

Quia instructio legem sequitur, data a Dicasterio pro Ecclesiis orientalibus competente, obligat christifideles orientales, si et in quantum, attenta lege, eos obligare vult Dicasterium ad tenorem supracitati CIC c. 34 §1 et CCEO c. 1492. Hanc rem ex recenti quodam eventu illustrare velim.

³ *Nuntia* 2 (1976) 66, can. 6.

⁴ CONGREGAZIONE PER LE CHIESE ORIENTALI, *Istruzione per l'applicazione delle prescrizioni liturgiche del Codice dei Canoni delle Chiese Orientali* (6 gennaio 1996), Libreria Editrice Vaticana, 1996.

Anno 1992 Congregatio de Doctrina Fidei documentum emisit, cuius inscriptio fuit «Instructio quoad aliquos adspectus usus instrumentorum communicationis socialis in doctrina fidei tradenda»⁵. Epistula, quae instructionem comitabatur, eam describebat italice hoc modo: «Istruzione diretta a tutti i Vescovi della Chiesa cattolica, per presentare in forma organica la legislazione in merito (cf. CIC cann. 812-864)»⁶. Instructio, ut recoli potest, habet quattuor partes: 1) Responsabilitas pastorum in genere; 2) Approbatio vel licentia scriptorum varii generis; 3) Apostolatus christifidelium in re tipis edenda et in specie editoria catholica; 4) responsabilitas superiorum religiosorum. In prooemio instructionis, quae tota in lingua italica exarata est, excepta ipsa inscriptione, legimus de natura documenti:

Il documento ripresenta in forma organica la legislazione della Chiesa in merito. Richiamando le norme canoniche, chiarendone le disposizioni, sviluppando e determinando i procedimenti attraverso cui eseguirle, l'Istruzione si propone quindi di incoraggiare ed aiutare i Pastori nell'adempimento del loro dovere (cf. can. 34).

Non agitur de nova lege sed de instructione qua legislatio Ecclesiae in memoriam revocatur et executioni mandatur. Pastores, ait, obligatione tenentur vigilandi atque custodiendi depositi fidei aut remittendi ipsi Congregationi de Doctrina Fidei quaestiones quae suam ipsorum competentiam excedant. Praeterea dantur normae magis pressius determinatae de censura librorum eorumque tipis editione.

Patet quod multa quae in documento dicuntur etiam pro Ecclesiis orientalibus applicari possunt. Sed

⁵ *Communicationes* 24 (1992) 18-27; EV 13/865-876.

⁶ EV 13/864.

valetne instructio ipsa formaliter pro iisdem Ecclesiis? Non desunt difficultates. Si «legislatio Ecclesiae» executioni mandatur et Congregatio de Doctrina Fidei etiam de Ecclesiis orientalibus disponere voluerit, cur ne semel quidem canones CCEO non citavit? Item perdifficile est concipere talem instructionem datam esse inconsulta Congregatione pro Ecclesiis Orientalibus. Si quidem instructio mittebatur «ad omnes episcopos Ecclesiae catholicae,» evidenter etiam episcopos Ecclesiarum orientalium comprehendere dicendum est. Ex alia parte si revera etiam ad hos episcopos instructio mittebatur, sat mirum videtur quod iidem de legislatione Ecclesiae latinae edocentur, praetermissa ipsa legislatione orientali per CCEO promulgata. Vix intellegi potest sine restrictione mentali per *legislationem Ecclesiae* comprehendere tantum eam quae latinae Ecclesiae est propria, quod longe abesse dicendum erit a mente expressisque verbis ipsius supremi legislatoris. Tandem denique, cum auctoritates legislativae earundem Ecclesiarum ut Synodi Episcoporum Ecclesiarum Patriarchalium competentiam habeant materiam hac instructione regulatam pro ipsis Ecclesiis per ius particulare ordinandi (et in hoc munere ipsae synodi multum differunt a conferentiis episcopalibus Ecclesiae latinae), supponendum estne rem iisdem synodis remissam esse ne principium subsidiariorum per canones CCEO in actum deductum superioris auctoritatis interventu in discrimen vocari videatur? At tunc cur dicitur instructionem mitti «ad omnes episcopos Ecclesiae catholicae», unde et ad episcopos orientales?

2. Dubii propositio eidemque responsio

Restat ergo dubium de subiecto passivo instructionis supra laudatae. Interpellandum esse putavi Pontifi-

cium Consilium de Legum Textibus Interpretandis ad mentem «Pastor Bonus» art. 156 «Hoc Consilium ceteris Romanis Dicasteriis praesto est ad illa iuvanda eo proposito ut decreta generalia exsecutoria et *instructiones* ab iisdem edendae iuris vigentis praescriptis congruant et recta forma iuridica exarentur»; et ad mentem art. 158 «*Iis quorum interest postulantibus*, decernit utrum leges particulares et generalia decreta, a legislatoribus infra supremam auctoritatem lata, universalibus Ecclesiae legibus consentanea sint necne». Consilio ipsi tamen visum est quaestionem transmittendam esse ad ipsam Congregationem de Doctrina Fidei, sicut de responso ab eodem Consilio accepto erui potebat. Responsum denique eiusdem Congregationis indirecte quidem per ipsum Consilium accepi.

Denique tandem dubium sublatum est. Sed reponsum aliunde divulgatum esse non constat. Postea vero per Praesidem Consilii notum mihi fiebat licite vel etiam optatius eadem responsa publici iuris fieri posse, quia quaestio Ecclesiarum orientalium interest atque omnibus iuri canonici operam dantibus oportet nota fieri. Proinde haec quae sequuntur tria documenta divulganda dedi:

1. Textus petitionis subscripti auctoris de tollendo dubio utrum Instructio valeat pro Ecclesiis orientalibus.

2. Primum responsum Pontificii Consilii de Legum Textibus Interpretandis de accepta petitione eaque ad Congregationem de Doctrina Fidei transmissa.

3. Alterum responsum Consilii quo eiusdem Congregationis responsum communicatur (Negative).

2.1 *Primum documentum: Petitio de auferendo dubio*

Litterae Rev.di P. George Nedungatt, S.I., ad Exc.mum D.num Vincentium Fagiolo, Praesidem Pon-

tificii Consilii de Legum Textibus Interpretandis, diei 10 ianuarii 1993, quibus P. Nedungatt, Consultor eiusdem Pontificii Consilii, dubium ample proponit.

(*Omissis*)

Quaeritur utrum «Instructio quoad aliquos adspectus usus instrumentorum communicationis socialis in doctrina fidei tradenda,» die 30 martii 1992 a Congregatione de Doctrina Fidei edita (*Communicationes*, xxiv [1992] 18-27), valeat tantum pro Ecclesia latina an etiam pro Ecclesiis orientalibus catholicis. Non desunt enim rationes militantes pro utraque parte quaestionis.

I. Videtur quod instructio valet pro tota Ecclesia catholica, unde *etiam pro Ecclesiis orientalibus*. Quia:

1. Congregatio de Doctrina Fidei habet competentiam «in universo catholico orbe» (Pastor Bonus 48), unde ipsius documentum pro tota Ecclesia valere presumi potest nisi contrarium probetur. Atqui instructio supradicta nullum prae se fert signum limitationis territorialis vel exclusionis ullius Ecclesiae. Videtur igitur valere universaliter, etiam pro Ecclesiis orientalibus.

2. Iterum, ipsa materia tractata videtur spectare ad totam Ecclesiam catholicam. Agitur enim de modo apto et normativo «veritatem fidei morumve integritatem» tuendi, secundum ipsius Congregationis munus (Pastor Bonus 51). Declaratur idem esse scopus instructionis: «nella sua missione di promuovere e tutelare la dottrina della fede e dei costumi.» A tuitione autem veritatis fidei et morum utique non sunt excludendae Ecclesiae orientales. In hoc ergo tanto munere fungendo Congregatio de Doctrina Fidei etiam has Ecclesias appellare censenda est.

3. Idem suaderi videtur ex ipsis verbis instructionis quae sequuntur: «Il documento ripresenta in forma organica la legislazione della Chiesa in merito.» Legislatio autem organica Ecclesiae catholicae comprehendit, procul dubio et ad mentem legislatoris ab eo ipso patefactam, et Ecclesiam latinam et Ecclesias orientales catholicas. Sequitur ergo quod supradicta instructio non solum pro Ecclesia latina sed etiam pro Ecclesiis orientalibus valet.

4. Confirmari dicenda est haec conclusio destinatione instructionis, scilicet mittebatur «ad omnes episcopos Ecclesiae catholicae», ut asseritur in epistula eam comitante. Nisi mittebatur ad episcopos Ecclesiarum orientalium, non mittebatur ad *omnes* episcopos Ecclesiae catholicae. Iisdem Ecclesiis ergo manifeste valet instructio.

II. Sed opinio contraria scilicet instructionem supradictam *pro Ecclesiis orientalibus non valere* argumentis nititur ad persuasionem gignendam aptis vel etiam magni ponderis. Etenim:

1. Non omnia quae ab auctoritatibus Ecclesiae edicuntur pro omnibus valent nisi hoc in unoquoque casu constat. Quod spectat christifideles Ecclesiarum orientalium canon 1492 CCEO recitatur:

Leges a suprema Ecclesiae auctoritate latae, in quibus subiectum passivum expresse non indicatur, christifideles Ecclesiarum orientalium respiciunt tantummodo, quatenus de rebus fidei vel morum aut de declaratione legis divinae agitur vel explicitè de eisdem christifidelibus in his legibus disponitur aut de favorabilibus agitur, quae nihil ritibus orientalibus contrarium continent.

Ante omnia constat in instructione subiectum passivum non indicari, nec de favorabilibus agi. Neque da-

tur declaratio legis divinae, nam praescribitur *modus* tuendi doctrinam, non docetur «*res fidei vel morum.*» Ergo videtur non valere pro christifidelibus Ecclesiarum orientalium.

2. Ad hanc conclusionem firmandam juvat consideratio facti quod in instructione, quae tot citat canones CIC, ne semel quidem citatur CCEO, qui aequae ac CIC est codex Ecclesiae catholicae et in quo canones de materia tractata non desunt. Quod ergo hi canones in instructione non laudantur per casum accidisse vix dici potest sine contumelia Congregationis de Doctrina Fidei. Melius dicatur quod ita consulto factum esse. Fortasse ipsi Congregationi visum est necesse non esse canones CCEO pro oriente pro tempore urgere. Unde erui potest per instructionem ordinari tantum modum practicum agendi in Ecclesia latina.

3. Haec mens ipsius Congregationis luce clarior evadit et sine dubio constare videtur propterea quod Congregatio pro Ecclesiis orientalibus non recensetur inter dicasteria consultata. Instructio enim edi dicitur «*d'intesa con la Congregazione per gli Istituti di Vita Consacrata e le Società di Vita Apostolica e dopo aver consultato anche il Pontificio Consiglio per le Comunicazioni Sociali.*» Vix credi potest quod inconsulta Congregatione pro Ecclesiis Orientalibus instructio de modo practico res ipsarum Ecclesiarum ordinandi emissa sit.

4. Insuper eadem mens restrictiva Congregationis de Doctrina Fidei elucet ex eo quod verba et expressiones in instructione inveniantur quae sunt de CIC desumpta et eidem codici sunt propria, cujusmodi sunt *Ordinarius, episcopus dioecesanus, conferentia episcopalis*, praetermissis *Hierarcha, episcopus eparchialis, synodi episcoporum*, quae CCEO sunt propria. Absolum esset si dicatur Congregationem alloqui orientales

christifideles lingua eis ignota seu terminis iuris canonici latini, sepositis iis orientalibus. Relinquitur ergo quod ipsa instructio solos latinae Ecclesiae christifideles coram oculis habet.

5. Ad idem iudicium confert denique tandem c. 34 §1 CIC de natura iuridica instructionis. In hoc autem canone legitur:

Instructiones, quae nempe legum praescripta declarant atque rationes in iisdem exsequendis servandas evolvunt et determinant, ad usum eorum dantur quorum est curare ut leges executioni mandentur, eosque in legum executione obligant.

Cum leges in instructione citatae unice ex CIC desumptae sint, manifestum quoque est, ad normam c. 34 §1 CIC, tantum eiusdem codicis leges per instructionem declarari et executioni mandari. Unde sequitur de legibus codicis orientalis non agi neque ergo Ecclesiis orientalibus instructionem dari.

III. Certantibus ergo inter se argumentis pro extensione (I) et contra extensionem (II) subjecti passivi instructionis ad christifideles Ecclesiarum orientalium, videtur res pro certo dirimi non posse citra *iudicium authenticum* competentis Consilii pontificii super quaestionem: valetne instructio supradicta pro Ecclesiis orientalibus annon?

Quae quaestio infrascripto docenti disciplinam «De Magisterio Ecclesiastico» in unica Facultate iuris canonici orientalis in orbe catholico specialis momenti esse videtur, cum opinione mere personali in tanta re niti nec nolit nec debeat. Quamobrem responsum authenticum Pontificii de Legum Textibus Interpretandis humiliter petit.

(Subscriptio): George Nedungatt, S.I.

2.2 *Secundum documentum: Primum responsum Pontificii Consilii*

Litterae Exc.mi D.ni Vincentii Fagiolo, Praesidis Pontificii Consilii de Legum Textibus Interpretandis, ad Rev.dum P. George Nedungatt, S.I., diei 17 martii 1993 (prot. 3675/93).

(*Omissis*)

È pervenuta a questo Pontificio Consiglio la Sua richiesta di risposta autentica circa un dubbio sulla validità o meno, per le Chiese Orientali, della *Instructio quoad aliquos adspectus usus instrumentorum communicationis socialis in doctrina fidei tradenda*, emanata dalla Congregazione per la Dottrina della Fede in data di 30 marzo 1992.

Dopo aver esaminato, anche in Congresso, le motivazioni da Lei addotte, è sembrato conveniente trasmettere il Suo quesito alla Congregazione per la Dottrina della Fede perché valuti opportunamente la questione.

Profitto volentieri della circostanza per confermarvi con sensi di particolare stima e distinto ossequio.

di Lei, Reverendo Padre, dev.mo,

(subscriptio) † V. Fagiolo
Praes.

(subscriptio) † J. Herranz
Secr.

2.3 *Tertium documentum: Alterum responsum Pontificii Consilii*

Littera Exc.mi D.ni Vincentii Fagiolo, Praesidis Pontificii Consilii de Legum Textibus Interpretandis,

ad Rev.dum P. George Nedungatt, S.I., 8 iulii 1993
(Prot. 3843/93).

(*Omissis*)

Relativamente alla Sua istanza del 10 gennaio u.s., sono ora in grado di comunicarLe che la Congregazione per la Dottrina della Fede, con una lettera del 18 luglio dell'anno in corso, ha informato la Congregazione per le Chiese Orientali che l'«Istruzione circa alcuni aspetti dell'uso degli strumenti di comunicazione sociale...» del 30 marzo 1992, presenta in forma organica la legislazione in merito della Chiesa latina, e pertanto non riguarda il «Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium».

Colgo l'occasione per confermarmi con sensi di distinto ossequio.

della Paternità Vostra Rev.ma dev.mo,

(subscription) † V. Fagiolo
Praes.

(subscription) † J. Herranz
Secr.

Conferendo data litterarum patet Congregationem de Doctrina Fidei quattuor circiter mensibus postquam instructio edita erat monuisse Congregationem pro Ecclesiis orientalibus idem documentum respicere tantummodo Ecclesiam latinam non vero Ecclesias orientales.

Nostra vero interrogatio in clariorem lucem posuit statum legislationis Ecclesiae universalis nunc vigentis, iuxta quam, ad vitanda dubia et haesitationes, in documentis indolis normativae a dicasteriis Sedis Apostolicae edendis semper clare pateat oportet utrum do-

cumentum dirigatur aut ad Ecclesiam latinam tantummodo aut etiam ad Ecclesias orientales, si agitur de dicasterio quod est competens et in Ecclesiam latinam et in Ecclesias orientales.

GEORGE NEDUNGATT, S.J.